



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

Vastovius, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.

Brigitta Vid.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38534

SANCTA BRIGITTA VI-
DVA FLORUIT ANNO
CHRISTI 1371.

GREGORIO XI. Pontifice.

CAROLO IV. Imperatore.

ALBERTO Rege.



ANCTA Brigitta è Regno Suediæ oriunda non tantum S. Brigitta pro-
gentores gene-
re & in Deum
religione illu-
stres. parentes habuit tam coram Deo quam coram mundo il-
lustres & potentes, verum etiã auos, proauos & abauos ex-
cellentes legis Diuinæ tum inquisitores tum executores,

perstudiosos ad sacras peregrinationes procliuēs aliorum.
que pioium operum auidos frequentatores, quinimo omnis cognatio
eius & stirps quemadmodum olim B. Thobię bonam vitam & sanctam
conuersationem seclata est adeo vt tam Deo quam hominibus & cun-
ctis vicinis vbicunque tandem morarentur accepti & chari essent. Auus
eius & proauus atque abauus paternus Abrahæ & aliorum virorum
sanctorum exempla secuti quamuis diuites essent, vt eo ditiores in vir-
tute euaderent, peregrini esse in hoc mundo voluerunt eoque liben-
tius à terrestri patria spontaneum subiuerunt exilium, quo citius ac tem-
pestiuius cælestis patriæ conscriberentur inquilini. Vnde sacramenta
dominicæ passionis ad memoriam reuocantes peregre profecti sunt in Sanctas pere-
grinationes
obiuerunt. Ciuitatem sanctam Hierusalem & ad alia loca quę IESVS Christus cor-
porali præsentia sua illustrauit, idque non sine multo sumptu & labo-
re. Eorum autem & exitum & introitum Dominus clementer custo-
diuit.

Sed & Pater S. Brigittæ Birgerus seu (vt Suecanum vulgus loqui- Pater S. Bri-
gitta Compo-
stellam inuisit,
a terra Sancta
retardatus. tur) Berillus illorum vestigijs insiftens multa loca sanctorum puta S. Ia-
cobi Compestellam & alia mari Australi adiecta religiosissime inuisit
paratus etiam vltcrius proficisci ad Terram sanctam, nisi Apostolicæ se-
dis consilio propter causas rationi consentaneas retardatus fuisset. Idem
ipse singulis sextis ferijs peccata sua sacerdoti humiliter confiteri sole-
bat sæpissime illis vltis verbis; Ita me qualibet sexta feria comparare vo- Quauis sexta
feria S. Exho-
mologesi ob-
iit.
Pie dictum &
bonum factū.
Filius Israele
ius pium Pa-
rentis exem-
plum amula-
tur. lo, vt quidquid mihi cæteris diebus Deus imposuerit æquo animo per-
ferre possim. Identidem animo repetebat admonitionem illam sapi-
entis. *Non tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem.* Hunc
laudabilem morem filius eius quoad vixit est imitatus, qui etiam ex
homologesi facta secreto acerrimis flagellis tergum suum cecidit, vt pa-
I ratus

ratus in flagella Christum flagellatum in suo glorificaret corpore & cum vitijs & concupiscentijs iugiter crucifigeret carnem suam.

Matria S. Brigitta religio.

Mater quoque D. Brigittæ Sigridis, generis ne an religionis fulgore clarior fuerit dubium, multas extruxit ecclesias & pro magnificentia sua amplissimos eidem dotis nomine redditus assignauit. Porro ingressus B. Birgittæ sponsæ Christi in hunc mundum fuit velut quoddam diluculum diei perantænæ indicium diuinitus præparatum. Nam cum adhuc gestaretur vtero accidit vt mater eius in quodam maris sinu naufragium faceret, cumque multi vtriusque sexus submergerentur, Dux Regni Henricus Regis Suediæ frater videns illam in periculo versari, modis omnibus quibus potuit eam viuam ad littus perduxit. Eadem autem nocte illi astitit persona quædam veste lucida induta dixitque ad eam. *Salua euasisti propter bonum illud quod vtero gestas inclusum. Itaque cum enixa fueris nutri illud in Dei amore, sciens singulari munere id tibi*

Naufragium patitur grauida.

S. Brigitta ortus diuinitus reuelatur sacerdoti.

Diuinitus esse donatum. Nata autem puella sacerdos quidam vicinioris Ecclesiæ vitæ integræ & prouectæ ætatis, qui postea factus est Episcopus Aboensis in Suedia inter orandum nocte vidit nubem lucidam eique insidentem virginem manu sua librum complexam, Cumque quidnam visum portenderet hæsitaret, audiuit vocem eiusmodi; *Nata est Birgero filia cuius vocem mirabilem totus orbis exaudiet.* Ab ipso autem Ortu suo fere triennium permansit elinguis infantula, nec vllum edidit sermonem vt iam tunc quantum esset silentium amatura & sermones suos in iudicio positura præsignaret. Sub finem vero triennij, tam perfecte loqui cepit vt iam non infantium balbutientium more, sed contra eius ætatis vsum absolute sua verba enunciaret.

Triennio muta permanet.

Eo finito perfecte loquitur.

Interea mater eius Eleemosynis & bonis operibus semper dedita morbo corripitur & aliquot diebus ante prædixit obitum suum. Cum iam esset migratura de corpore, maritum suum & alios eius vehementi dolore ex eius abitu consternatos admonuit, erexit, recreauit. *Quid ita doletis? aiebat, sufficiat hucusque prorogasse vitam, gratulari potius mihi debetis, si me diligitis, quod ad meliorum consortium amicorum, tamen si est vestri nunquam obliuiscar, imperio Domini, commigrem.* Inde accitis filijs cum omnibus valedixisset obdormiuit in Domino. Ea defuncta, filiola eius Birgitta à patre tradita est nutrienda materteræ suæ matronæ insigni prudentia & religione. Et cum septennis fere esset vidit quodam tempore euigilans, è regione lectuli sui altare & super illud Dominā quandam splendidis vestibus indutam manu sua magni precij coronam ferentē ipsique dicentē. *Birgitta veni, surgenti illi & ad aram properanti, Visne inquit habere Coronam hanc? Illa libenter annuente imposuit eā capiti eius, ita vt sentiret puella caput suum tāquam circulo quodā ambiari; Sed cum ad lectulum*

Mater eius obitum suum prædixit.

Piemoritur,

S. Brigitta septennis celesti visione fruatur.

redijisset,

rediisset, visio illa disparuit cuius tamen nunquam potuit obliuisci, singulari voluptate qua illam consecuta fuerat perfusa. Deinde annum ætatis decimum ingressa instar purissimi lilij totius honestatis candorem retinens, & ab illecebris labentis mundi ad cælestium pulchritudinem sese erigens mundiciem animi & corporis ceu thesaurum absconditum conseruabat. Abundauit in ea totius forma virtutis, sobrietas cum modestia, simplicitas cum verecundia, humilitas cum obedientia, iucunda conscientia, hilaris patientia, charitas indefessa. Decimo ætatis anno cum in templo sermonem de acerbis Christi cruciatibus perattente audiuisset, nocte sequenti vidit in somnis Christum quasi ea hora crucifixum sibi dicentem. *En vt cruciatus sum.* Illa rata recenter illi tam crudelia inflicta vulnera quis, ait, istud fecit Domine? subiecit Christus; *Omnes vtique qui meam gratiam aspernantur & tantæ charitati respondere negligunt.* Tum illa ad se reuerfa vsque adeo deinceps fuit affecta erga passionem Christi vt eius mysteria raro sine lachrimis ad memoriam potuerit reuocare.

*Adolescentia
puritas.*

*Christus ei ap-
paret cruci af-
fixus.*

*Mysteria passio-
nis cum lachry-
mis recolit.*

*Mannum la-
bori inuenta a-
nimus Deo va-
cabat.*

*A B. Virg. ad-
iuuatur in la-
boribus.*

Duodennis facta otium perosa cum puellis quidem coætaneis acu telas pingebat sericum & aurum inducens; animam autem pijs cogitationibus occupabat; ita vt sæpius operi intendere non posset Dei contemplatione identidem abstracta. In quo exercitio visa est aliquando à circumstantibus assidere illi virgo quædam ignota, eam in eo opere adiuuans. Interrogata deinde quænam ipsi assedisset, respondit, se neminem conspexisse. At matertera eius opus quod tum præ manibus habuerat attentius considerans, aduertit artificium maius puellari ingenio vel facultate, crediditque diuinitus potius elaboratum fuisse, quod proinde inter sacratiores reliquias fideliter asseruauit. Eadem matertera nocte quadam eius cubiculum latenter ingressa inuenit eam cæteris dormientibus in silentio ante lectum suum seminudam adorare eum lachrimis crucifixum. Suspiciata autem leuitate quadam puellari id fieri, virga eam percussit, sed ea in minutissimas partes contracta dissiliit, tum admirabunda exclamat: Quid egisti Birgitta? Num te vanæ mulierculæ superstitionas edocuere preces. Illa cum lachrimis respondit; Non domina mea sed surrexi e lecto vt laudarem eum qui mihi in omnibus opitulatur. Quis ille? matertera sciscitante: Crucifixus est inquit illa quem pridem conspexi. Ab illa ergo die matertera eius cepit eam & amare impensius & amplius venerari.

*Noctu cruci-
fixum Chri-
stum adorare
consuevit.*

Non diu post ludentibus puellis Birgitta sociata vidit Diabolum tanquam centimanum, & centipedem horrenda specie deformem. Perterrita igitur cucurrit ad lectulum suum vt humiliter se Christo com-

*Territus à De-
mone sibi ap-
parente.*

*Oratione illū
fugas.
Patris volun-
tate licet inui-
ta nubie Vl-
phoni de Vl-
falo.*

*Annum &
amplius conti-
nentes viuunt.*

mendaret. Vbi rursus ei teter ille spiritus appārens: Nihil possum in-
quit nisi permittat crucifixus. Animaduertens autem pater eius quod
virgo iam nubilis, velut altera Esther, posset generi suo magnum
adferre splendorem & dignitatem, & instar parui fontis in maximum
excrescens fluuium, plurimis aquis redundare: ipsam licet summo pe-
re in virginitatis proposito permanere cupientem cuidam adolescenti
diuiti, illustri, cordato & prudenti despondit. Erat is Nericia Legi-
fer & Vlpho de Vlfalo dicebatur. Vixerunt autem post initum ma-
trimonium annum vnum & eo amplius, vsu illius sibi prorsus inter-
dicto, obnixè interim Deum obsecrando vt si secundum eius placitum
mutuis amplexibus perfrui deberent, talem eis prolem donaret quæ i-
psius seruitio perpetuo manciparetur.

Postquam iam inter se conuenerant, semper in quadragesima &
diebus solennibus & qualibet sexta feria à carnali copula abstinebant,
quo tempore illa clam induc̄ta vestibus extra lectum cubabat in pa-
uimento vel assere tapete instrato. Porro ambo simul spiritu Dei il-
los gubernante matrimonium honestissime coluerunt, & tam Deo
quam hominibus chari in venusta morum integritate & maturitate fœ-
lices habuere progressus. Filios suos Birgitta cum multa sollicitudine
& diligentia educauit, eosque ceu aquila prouocans ad volandum pul-
los suos & super eos volitans, vnguibus castigationis & sanæ doctrinæ
radijs solis iusticiæ obiecit, adhibens illis præceptores qui eos in fide &
moribus instruerent. Apparuit quandoque ei Beatissimus Ioannes Ba-
ptista & ait: *Quandoquidem plorasti quod filius tuus offendit me non obseruato
ieiunio in perurgilio festi mei malleque eum seruire mihi quam Regia dignitate
excellere, idcirco ego illum adiuuabo & armis meis communiam.*

*Apparet ei S.
Ioan. Baptista.*

Loca, leuitates & personas omnes vnde illi posset aliqua nota asper-
gi declinabat, semperque honestas ancillas & comites omni morum ho-
nestate conspicuas apud se retinebat; ne cuiusquam obtrectandi occasio-
nem præberet; & quia à primordijs ætatis suæ diuina erat gratia ornata,
& diuini amoris calore incēsa, sursum toto desiderio terebatur in Deum
& ardentissime cœlestia meditabatur, ne quam autem Sathanæ tentan-
di materiam offerret, ab ocio valde abhorruit, bonisque & sanctis exer-
citijs semper vacans nunc operi manuum incumberebat cum famulis suis
Diuino cultui & proximorum vilitati profuturo, nunc sanctorum vi-
tas & sacra Biblia quæ Gothico idiomate sibi scribenda curarat, lectita-
bat; nunc Ecclesiarum limina frequentabat Diuinitque officijs sedula
intererat, nec indulisit teneræ complexionī corporis; sed suaue ac dele-
ctabile illi videbatur pedibus suis obire monasteria & Ecclesias prima-
rias tum ob indulgentias siue condonationes promerendas, tum ob
audiendas

*Ocium sum-
mopere vitat.*

*Ecclesias & sa-
cra loca visitat.*

audiendas Doctorum virorum conciones. Ieiunijs quoq; vigilijs & orationibus frequenter intenta, docebat carnem parere spiritui, atq; à delicatioribus elcis abstinentiã obseruabat: quod tamen ea cautione faciebat vt à marito & alijs nõ aduerteretur. Semper aut̃ absente marito, veste dura & aspera tam interdium quã nocte corpus affligebat. Iã vero infirmorum, morbidorum & pauperũ felix & inclytamater elemosynas largiffimas omnibus egẽtib; præstabat. Habebat aut̃ spaciosas ædes pauperib; deputatas & in illis fœminas quæ illorum ministerio semper occuparentur, Sed & ipsa cum multa humilitate nõ raro illis inseruiebat, pedes abluiebat, & oculabatur, Quandoq; in partu ea periculose laborãte, matrona quẽdam candidissima veste induta visa est ad eam ingredi, singula iacentis membra cõrectare. Quod vbi perfecisset & ex oculis disparuisset, illa mox sine vlla difficultate prolẽ incolumem edidit. Hanc ipsam Beatã Virginem Mariam fuisse postea per reuelationem intellexit. Maritus autem eius cum esset vir strenuus & potens & ex præcipuis Regis Consiliarijs perspecta tanta eius virtute & gratia, sacris & salutaribus delectabatur illius sermonibus & consilijs, ita vt spretis omnibus mundanæ vanitatis honoribus & pompis ab aula Regis prorsus se subduceret, suauique iugo Domini se totum humiliter submittere, quicquid esset æquum & iustum, quicquid bonis moribus & honestati cõsentaneum, in gloriam ac laudem Dei efficaciter exequi conaretur. Didicit vero etiam à B. Birgitta legere preces horarias B. Matris Dei. Ambo igitur seruietes spiritu vt se liberius à mundi vanitatibus expedirent, patria sua relicta non sine multo labore & sumptu profecti sunt in Hispaniam ad S. Iacobum, & tandem multis peragratis sanctorum locis cum iam essent, in reditu, maritus cepit apud Atrebatas deteriori valetudine laborare. Incremente autem morbo cum B. Birgittam magni tenerent angores, S. Dionysius

Pauperũ magna curam gerit.

B. Virgo ad eã parturienti.

Suscipit peregrinationes cum marito ad S. Iacobum.

S. Dionysius ei apparet Atrebatas.

S. Dionysius ei apparet Atrebatas. Tu ergo quæ singulari mihi deuotione afficeris, noueris quod per te velit Deus innotescere teq; meæ curæ commissam esse; Cuius rei hoc accipe signum quod maritum tuum deinceps videbis sanum. Transactis inde aliquot eo in loco diebus vidit in spiritu admiranda quædam quemadmodum itura esset Romam & Hierosolymam & è corpore migratura.

Maritus fit monachus.

*Ad secundas
nuptias non
accessit ysa con
filio Apostolico
1. Cor. cap. 7.*

1. Timot. 5.

*Rapt. e in Ecclia.
si loquitur Do-
minus.*

*Doctor Mat-
thiae spiritu-
lus pater S. Bri-
gittae.*

*Novus ordo S.
Brigittae ex ore
Christi insti-
tutus.*

Cilicio vitur.

*Non sentit fri-
gus pra animi
ardore.*

*Seipsam varie
mortificat.*

mentia in Monasterio Aluastra Ordinis Cisterciensium feliciter conuer-
fatus vltimum diem obiit. Eo defuncto sancta & pudica matrona mū-
do longū valere iusso, facultatibus suis inter liberos distributis habitum
mutauit & vitam. fecissetq; maiora, nisi peregrinari diuinitus fuisset ius-
sa. Vidisses deinde eam quasi alteram Iudith virtute castitatis insignem,
erga proximum officiosam, piam erga Deum, & quemadmodum Apo-
stolus docet vere viduam & desolatam spem suam in Domino collocan-
tem. Cum autem quodam tempore plus satis anxia esset, de mutatione
status sui vt Deo liberius seruire posset, mentis ecstasim passa vidit nubē
luculentam & ex nube vocem audiuit. *Ego sum Dominus Deus tuus qui te-
cum loqui volo, tu eris sponsa mea, & canalis meus.* Iis verbis illa territa quod
reformidaret illusionem rursus audiuit: *Noli timere quia ego sum conditor
omnium, non impostor, nec tua vnus causa loquor sed propter salutem multorum:
Audi ergo quae ego loquor & deinde refer ea ad Magistrum Mathiam, qui ex mea
gratia & sua experientia didicit spiritum veritatis à deceptore Spiritu discerne-
re.* Huic Mathiae de quo suo supra loco commemorauimus B. Brigitta in
omnibus obediuit, quemadmodum ei tum diuinitus praēceptū fuit, cum
caelestes primum cepit habere reuelationes, specialiter vero à Deo obti-
nuerat, vt annis viginti octo postquam gratiam reuelationis accipere
meruit, nihil vnquam egerit, nullibi pedem posuerit vt morata fuerit ni-
si monente eam spiritu Dei.

Instituit autem nouum Monasticum ordinem, & Regulam siue Ca-
nonem ex ore Christi ipsi eum dictantis conscripsit, quem Monialibus
Cænobij Vuaftenae seruandū reliquit. Interim propter subitariam vitæ
mutationem, & habitus vtilitatem, à Nobilibus vitæ eius non alio quam
insanæ loco habentibus contemnebatur; sed illa hominibus dicere hu-
iusmodi solebat: *Nec propter vos incepi, nec propter vos desistam, statui autem
apud animum meum verba hominum tolerare. Orate tamē prome vt perseuerare
queam.* Ita istos expediebat probe gnara nec malam conscientiam sanare
laudantium præconia, nec bonam lædere vituperantium conuicia.

Triginta annis ab obitu mariti vestibus lineis vsa nō est, nisi dūtaxat
in capitis velaminibus sed aspero induta cilicio carnem suā macerabat.
Ante lectum suum iusserat poni taperū simplex vel pallium & puluinar
exiguum pro capite sicq; cubare solebat. Interrogata quinā sic somnum
capere posset in acerrimis frigoribus quibus cæ Regionibus aquilonares
rigent, respondit *Ego tantum intra me sentio ardorem vt frigus externum non
magnopere curem.* Nocte ac die toties flectebat genu, toties sese inclinabat
& osculabatur humum, vt mirum videretur tā nobilem & teneræ habi-
tudinis matronam tantos potuisse perferre labores. Sextis feriis consue-
uerat ardentis cerei stillas ignitas in nudam demittere carnem: ita vt vul-
nerum

nerum vestigia relinquerentur, quæ si sua sponte ante proximam feriam non nihil curata essent: suis vnguibus ea lacerans renouabat; ne corpus eius vulnerum afflictione vacaret. Habebat etiã nodosa & asperrima ligamina corpori circumdata quæ neq; noctu neq; interdiu à se remouit. Qualibet sexta feria propter saluatoris passionem & fellium potum ipsi in cruce oblatum herbam amarissimam gentianam ore retinebat; idque itidem alijs quoq; diebus faciebat, si quod verbum incõsiderate protulisset. Et quia sprete mundanæ lætitiæ falsa pulchritudine, cor eius intolerabili mortis ^{Attende eius humilitatem & obedientiã.} Christi acerbitate perfusum erat, non absurde dicere potuit cum illa præclara vidua Noemi. *Ne vocetis me pulchram sed vocate me amaram, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* Obedientiæ adeo studiosa fuit vt nullibi esse voluerit sine actionum suarum moderatore.

In facienda confessione humillimam & ad quamuis satisfactionem quæcunque sibi iniungeretur promptissimã se exhibuit. Ab infantia pro ^{Crebro confitetur.} more habuit singulis sextis ferijs confiteri peccata sua, postea tamen e frequentia non contenta quolibet die etiam leuicula verba & cogitationes iudici suæ conscientie detexit. Ex obedientia in domibus Monasterio Aluastriæ vicinis & contiguis morabatur non vt aboleret Canonem Monasticum illis fratribus præscriptum, nec vt nouum quendam morem, cū ipsa esset mulier, eo inueheret, sed vt opus Dei mirabile eo in loco certius ostenderetur. In illo Monasterio frater quidam fuit ex iis rei domesticæ adiutoribus quos conuersos vocant, Gerekinus nomine qui intra ^{Gerekinus conuersus sanctissimus.} annos quadraginta nunquam de Monasterio fuerat egressus, sed die ac nocte intentus orationi eam à Domino obtinuerat gratiam, vt nouem angelorum ordines inter orandum quasi continenter videret, & sub eleuatione hostiæ Christum in forma puerili crebro conspiceret. Cum autẽ S. Birgitta ad illud venisset monasterium illic moratura, hic frater secum tacitus admirabatur dicens. Cur hæc Domina in Monachorum cœnobio residet contra regulam nostram nouam huc consuetudinem introducens? Raptus igitur in spiritu audiuit vocem perspicue dicentem: Noli mirari est enim hæc amica Dei atq; ea causa huc venit vt in hoc monte flores colligat, è quibus etiam multi ultra mare & in extremis orbis partibus degentes accipient medicinam: puta Teutones & alij populi in oriente, occidente & ad austrum positi. Ita in hac reuelatione præsignatum est multos in hisce locis degentes aduersum exitialia peccatorum vulnera medicinam ex dictis S. Birgittæ præsentem hausturos. Præterea vidit idem frater Beatam Birgittam à terra eleuatam & de ore eius latices fluminis instar erumpentes dictumque est illi; *Hæc mulier à sinibus terre veniens innumeris gentibus propinabit Sapientiam. Et hoc erit tibi signi loco quod ipsa indicabit tibi finem vite tue exultabisque in aduentu eius sermo*

nibus eius citiusq; complebitur desiderium tuum, vt non videas mala quæ illatus est Deus domui istæ quod & euētus cōprobauit. Prior quidā Dominicanus ægre poterat adduci vt B. Birgittæ reuelationibus fidem commodaret. Is cum aliquando dormiret vidit ignem de cælo in eam descendere. Stupefactus ea visione putabat sibi illudi. Itaque expergiscens rursus obdormiuit viditque ignem illum ex ore B. Birgittæ prodeuntem multos circa illam stantes inflammare simulque audiuit vocem dicentem *Quis prohibere potest ignem hunc, vt non egrediatur. Ego enim Deus omnipotens mit- tam hunc ignem ad orientem & occidentem ad Aquilonem & Austrum & incendet multos.* Deinceps Prior ille fidem reuelationibus S. Birgittæ habuit easque tuendas suscepit. Huius fratris fit mentio sexto libro reuelationū capite 30. Duobus fere completis annis Christus apparuit & B. Birgittæ laborem suscipiendæ peregrinationis inposuit his eam familiariter afatus: *Proficiscere Romam ibi enim plateæ sunt inestimabili auro instratæ San- ctorum vid. sanguine rubricatæ, ibi propter condonationes siue indulgentias, quas promeruerit sancti compendio venitur ad celum. Manebis autem ibi donec videas summum Pontificem & Imperatorem.* Quo Christi mandato accepto illa vt- pote obedientissima nullas necere moras aufa, sed confestim aures auditui accommodare, linguam voci, pedes itinere, manus operi, totam se in nutus colligere vt mandatum conficeret imperantis. Egressa igitur è paterno solo crebris est diuinitus cōsolationibus recreata. Cū Romam venisset summa cum deuotione & assiduitate nec mediocri labore visi- tabat loca sanctorum nec facile colloquia miscens inter eundem nisi forte interrogata esset & cum verbis paucissimis sciscitanti satisfaciebat.

*Studium pau-
peratus eius.*

Paupertas voluntaria adeo illi cordi fuit, vt omnes res & facultates suas cuidam commiserit dispensandas, & quoties aliquid inde vel in suos vel in aliorum vsus conuerti cuperet, cum summa humilitate in nomine I E S V Christi id sibi dari petierit, perinde ac si nusquam eas possedisset. Solebat autem in eiusmodi petendis rebus aliorum qui cum ipsa erant vtilitatem suæ anteferre, & propriam celans indigentiam orare vt illis præberentur necessaria, licet ipsa plus cæteris eorum egeret: vt quia fre- quenter necessarijs destituebatur, non obscuro se proximū pure diligere propter Deū, indicio. Post annos aliquot iussū diuinū est ire Neapolim, & in Sicilia. Quod cum fecisset à Regina Sicilia multisq; nobilibus pro- pter minime fucatā Sāctitatē est aucta & honorata adiutorijs & munerib.

*Honorifice ac-
cipitur in Sic-
lia.*

Visitatis autem in Sicilia locis sanctorum, Neapolim venit vbi mo- ram fecit & instar purissimi speculi virtutum de se exempla omnibus ex- hibuit: intrepideque doctos pariter & indoctos verbis & exēplis ad viam veritatis & probitatis reuocauit. Reuelationem quoque ipsi factam de populo Ciuitatis illius ipsimet Archiepiscopo doctis Theologis aliisque Clencis

Clericis & laicis sapientibus exponens absque metu quemlibet sui officij commonefecit.

Post annos multos cum Romæ frequentius solito sanctorum limina visitasset, Vnigenitus DEI filius præcepit vt iret Hierosolymam. Prætexente illa incommodam valetudinem & ætatem Dominus respondit: *Hierosolymam ire iubetur.* *Ecquis est naturæ conditor? ego addam tibi vires, ego prospiciam de itinere, ego te ducam & reducam in locum hunc. Denique ego ero custos tuus quocumque perrexeris nec dimittam donec complevero vniversa quæ dixi.* Veniens Hierosolymam mira audiuit à Domino de statu Regnorum, de natiuitate & passionibus eius, & de vocatione gentium. *Admiranda de regnorum statu à Domino audiuit & prædixit.*

Porro loca omnia in quibus pro peccatoribus pati voluit Dominus JESVS ipsa religiosissime visitauit, & quasi columba nidificans in foraminibus Petræ, suauitatem vulnerum eius meruit degustare, & diuinis animi illustrationibus crebrius afflari. Ante autem quam Hierosolymam rediret febri & stomachi infirmitate laborare cœpit, eamque terra & mari inter labores & dolores suos integrum annum patientissime tulit. *Cant. 2. Febri & stomachi doloribus per annum peregrinando laborat.*

Vbi Romam reuertit morbus inualuit cuius tandem vi extincta est. Quinto ante obitum eius die rursus apparuit ei Dominus JESVS ad altare quod erat in conclauis eius iucunda facie & corporeis eius oculis spectandum se præbens eique dicens. *Christus ei apparet ante mortem.* *Perinde tecum egi atque sponsus solet subducens se aliquantisper à sponsa vt ardentius ab ea desideretur. Non te pro more interuisi, diuinis consolationibus quandoquidem tempus erat quo probareris. At nunc probata satis procede & præpara te. Tempus est enim vt sicut pollicitus tibi sum coram altari meo Monastico habitu induaris, & deinceps non modo sponsa mea, sed etiam monachæ & mater in Vastena voceris. At tamen scias te corpus hic Romæ posituram donec veniat ad locum ipsi præparatum. Placet mihi finem vt imponas laboribus, accipio voluntatem tuam pro opere quod meditaris. Deinde subiunxit, Quinto abhinc die mane sumptis sacramentis conuoca sigillatim quos tibi indicaui, & facienda illis demanda, atq; ita venias ad Monasterium tuum id est in gaudium meum, porro corpus tuum Vastenam asportabitur. Ex his licet animaduertere B. Birgittam dum esset in corpore Monastico habitu indutam non fuisse, neque illius ordinis vestibus quem ipsa instituit: sed emigrantem à corpore, à Christo sponso suo accepisse eiusmodi habitum incorruptibilem, sicut ei in reuelationibus suis promiserat. Itaq; quod plerumque S. Monialis habitu depingitur, id est, voti potius quam facti argumentum. Neque enim monialium amictum dum vixit induit; attamen expetiit veste huiusmodi vestiri qua nunc Moniales Ordinis eius videntur, eam vero fulgentiorem accepit in cœlis.* *Deus bonam voluntatem pro opere accipit.*

Die quinto subortu solis Christus iterum ei apparens consolabatur eam. Missa celebrata perceptisq; sacramentis inter manus earum quas paulò antè

Felicis me exit è corpore.

antè

antè diximus spiritum reddidit piissimo saluatori quem viuens toto corpore amauit. O ineffabilem increatae sapientiae benignitatem eos qui concupiscunt eam praecipuam, quibus prior hilariter se possidendam fruendamque offert. O sponsa singularem gloriam quam sponsus in fide & misericordia sibi desponsans verbis blandissimis consolatur. O felicem nimium, quae post multiplices toleratos labores exantlatasque ærumnas, in pulchritudine pacis, & requie opulenta commoratur. Felix obitus eius non obscuris argumentis declaratus est; Quidam enim bonae & venerabilis vitae vidit quandam adornare lecticam, & à personis candidis vestibus conspicuis in sublime ferri, dictumque est illi admiranti: *Persona quam in hoc lecto cernis sponsa Dei est, quae in mundo contempta à multis nunc transit de morte in vitam sempiternam* Eadem autem

Anno 1373.
Translatio
eius.

Multa ad eius
sepulchrum
miracula.

hora illa obiit. Porro corpus eius summa cum laude ad monasterium S. Laurentij deportatum & illic honorifice sepultum est. Obiit Anno salutis Millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, Decimo Calendas Augusti. Anno autem proximo, post multorum miraculorum coruscationem, ossa eius ab Vrbe Romana, multis per viam sanctitatis editis argumentis, ad monasterium Vastenense duodecimo Iulii die, cum ingenti populorum frequentia & gaudio, per sanctam filiam eius Catharinam translata sunt. Vbi miris signis, & multifariis miraculis eam ornat & illustrat DOMINVS IESVS CHRISTVS. Praestatur caecis visus, surdis reformatur auditus, muti loquuntur, paralyticis membra dissoluta confirmantur, & vt paucis multa expediam, morbidi omnes deuote illuc CHRISTVM inuocantes meritis sponsae eius ab eo curantur. Id vbi innotuit Imperatori, Regibus, Reginis, Prælati & Principibus multisque diuersarum nationum Christianis apud Romanos Pontifices multis modis institerunt, vt Brigittam in Sanctorum Album referrent. Denique ad Bonifacium Nonum re tota deuoluta, cum is de integro accuratissime in eius vitam & gesta inquiri curasset, ad eius Canonizationem vt vocant solennem processum studium conuertit, eamque de consilio & consensu Cardinalium & Prælatorum omnium, qui tum in Romana Curia versabantur, Sanctorum Catalogo adscripsit. Dies autem translationis eius tota Suecia celeberrimus septimo Octobris agebatur.

Sanctorum
Catalogo ad-
scribitur.

Cum sint autem innumera fere miracula beatissimae Birgittæ, nos pauca duntaxat annotabimus.

Eunte illa ab Vrbe Roma Hierosolymam, Latinus de Vrbinis, pro magna erga illam beneuolentia & animi deuotione, extra urbem non paruo itineris spatio illam deduxit. Postquam ergo Hierosolyma Romanam rediit, cum confessorio suo Domino Petro adiit Latini cedes: cumque in

Valde ei ferens
peccato mortif-
fero obnoxij.

que in eas ingressa esset, manu ad nares admota, nihil loquebatur. Sciscitante illo ab eius confessario, quid id sibi vellet, respondit: Te non tam recte animo constitutum inuenit, atque tum eras, cum à te recederet. Admiratus dominus Latinus: Ecquid, ait, designaui? Verum quidem est habuisse me litem cum quibusdam subditis meis.

Ibat quandoque Sancta Birgitta Romæ cum filia sua Catharina & Petro confessario & Magno Capellano ad ardes Iordani de Marino, volens inuisere eiusdem Iordani vxorem. Qua præsentem, tantum ex actibus eius sensit factorem, vt vix ferre possit. Admirante ea causa non mediocriter Magno, & è Petro confessario eius percontante, quid hoc sibi vellet, ille respondit. Noueris pro certo quancumque coram ea quispiam mortifero peccato obnoxius stat, aut loquitur fraudulentem, aut quo Deus offendatur, illam mox sentire immodicum sulphuris fetorem.

Cum esset Sancta Birgitta in quadam Cypri vrbe, postquam Hierosolymam discessit, fama illic ferebatur, habere eam certas quasdam reuelationes de Cypri Regno. Erant autem per id tempus in Cypri monachi quidam carnales potius quam spirituales, inflati scientia, & spiritu vani. Ii irridebant & detrahebant beatæ Birgittæ, tanquam fieri non posset, vt per eiusmodi sublimes reuelationes loqueretur DEVS cum indocta muliercula. In iis erat frater Simon Dominicanus Confessarius Principis Antiochiæ, patrii Regis Cypri, qui insignis Theologus & Astronomus habebatur, nossetque cursus syderum & planetarum, sed non seipsum. Is venit ad domum, in qua erat Beata Birgitta, non recte tum corpore valens. Cæpit itaque sub ouina specie verbis blandis eam compellere, præsentem Domino Alphonso & aliis, percontarique ex ea de gratia cælestium visionum, quas ipsa diuinitus haberet. Illa columbina simplicitate respondit ad omnia humiliter & simpliciter: sed interim tantum factorem ab illo proficisci sentiens, vt vix posset subsistere. Ipsa quoque si quod verbum incaute protulisset, aut parum aliquid in factis suis sæculariter se gessisset, ingentem factorem sulphureum & magnam amaritudinem in lingua & gutture suo sentiebat. Prædixit vero mala euentura Cypri & eius ciuitati Famagustæ propter hominum peccata, quæ etiam postea vti prædixerat euenerant.

*Simon quidam
Theologus ar-
rogans, male de
ea sentit.*

*Prædixit mala
euentura Cy-
pro.*

Circa Ecclesiam Lateranensem Romæ multos conspiciens peregrinos, vnum ex iis vidit tenentem puerum infirma valetudine, & elemosynam petentem: dixitque ei: Quomodo ausus es tenere hunc puerum, quem tu, cum sit Iudæi filius, furatus es? Audiens ille, obstupuit, & in pedes se coniicit: retentus autem à circumstantibus, dixit palam cunctis audientibus, puerum illum Iudæum esse, & se eum

*Arguit quen-
dam furri.*

se cum furatum esse. Accepit autem Sancta Birgitta puerum ad se, curauitque eum baptizari anno CHRISTI millesimo tricentesimo sexagesimo.

Sanat demoniacum.

In regno Suediæ militem quendam à demone liberauit. Dicebatur is Ioannes Stobernus, & apud Ostrogotthos iuri dicundo, vel fontibus puniendis præerat.

Roganti Sanctæ Birgittæ pro Algotio Dominicano S. Theolog, Doctore, qui iam senex orbitate oculorum & calculi doloribus cruciabatur, responsum est: Ille stellamicans est, nec expedit sanitate corporis obscurari animam eius. Certauit & cursum consummauit: nihil iam superest, nisi vt à me coronetur. Et hoc sibi signum erit, quod ab hac hora, mitescent dolores corporis eius. Iam enim anima eius prorsus ardet igne diuini amoris. Non diu post Theologus ille è vita decessit.

Febrem hæticā pellit à puero.

Puer quidam decem annorum, nomine Esau, nepos magni Senescalli, Reginae Siciliae, Neapoli de gentis in aula eiusdem Reginae, hætica febre adeo fuit confectus & exhaustus, vt medici de tota vita eius plane desperarent. Eum mater eius Lappa duxit ad Sanctam Birgittam suppliciter eam deprecans, vt puerum tangeret, aut saltem Crucis signum illi imprimeret. Mox illa puerum tetigit, & tactum repentina salus consecuta est.

Filium Carolum à morbo liberat.

Carolus Miles filius S. Birgittæ, Romam è Suedia venit anno 1365, vt autem in aedes fuit ingressus, in quibus mater degebat, ascendente eo in solarium, mater eius è cubiculo suo egrediens, vidit illum corpore non recte valere. Tetigit itaque pectus illius, quædam orationis verba pronuncians, confestim ille multum vomuit sanguinè, ita vt loqui non posset, & restitutus est.

Cum S. Birgitta esset Hierosolymis, quidam Franciscanus, qui erat Reginae Cypri à Secretis, & cum S. Birgitta à Famagusta Hierosolymam venerat, humiliter eam rogauit, vt pro ipso Dominum instanter deprecaretur, quo certum ipsi modum & rationem ei seruiendi ostenderet.

Reuelatio diuinitus ei facta.

Oranti S. Birgittæ Christus apparuit, & quadam ei reuelatione ostendit, quemadmodum Sanctus Franciscus regulam à Christo accepit, & vt primi fratres eius secundum illam sanctè vixerint: atque vt diabolus eum ordinem contaminarit: postremo quæ gloria maneat in cælis regulæ illi cõuenienter viuentes, quæ pœna apud inferos illam transgredientes. Hanc reuelationem cum ille Franciscanus legisset, mox vbi Famagustam rediit, libros, vasa argentea & aurea, aliaque ornamenta & pecunias suas distribuit pauperibus, deinceps victurus in sanctæ regulæ obser-

obseruantia. Dicebatur is Antonius ab Aragonia: postea vero factus est guardianus in Bethleem. Habetur hæc reuelatio lib. 7. cap. 20. & eam obtulit dominus Alphonſus Gregorio XI.

Fuit etiam beatæ Birgittæ diuinitus facta reuelatio de Abbate quodam, cuius erat vita exitioſa. Dixit ei Chriſtus minitabundus: Tu Abba debebas eſſe ſpeculum monachorū, & ecce caput es meretricū. Debebas eſſe exemplum pauperum & ſuſtentator inopum: & ecce ex eleemoſynis magnum te dominum exhibes, potius habitans in caſtris, quam in monaſterijs. Debebas eſſe Doct̄or & verus pater fratrum tuorum: & tu illorum ſeduc̄tor es & vitricus. Te in delicijs & pompa verſante, illi afflicti murmurant tota die. Sed niſi reſipueris, deponam te de caſtris, & nec cum infimis fratribus tuis habebis conſortium, nec ad patriam, vt tibi perſuades, redibis tuam, nec in meam ingredieris. Ea quidem omnia poſtea illi Abbati ita acciderunt.

Cum eſſet S. Birgitta Romæ, & quodam die propter ſtationem loca ſacra inuiſeret, caſu inuenit pauperulam fœminam quandam è regno Noruegia, ante S. Prædix Eccleſiam ſolam iacentem, prope ſemimortuam. Miſerta illius cæpit tentare ex multa humilitate, num poſſet ipſa eam ferre ad domum hoſpitalem S. Antonij. Sed cum non poſſet, voluit vt dominus Magnus Capellanus eius iuuaret ipſam: atq; ita ambo ſimul deportauerunt eam ad domum illam: Cuius præfecto numerauit ipſa pecuniam, vt curam eius gereret. Interim crebro viſitabat eam, donec eatenus curata fuit, vt iam commode poſſet per urbem incedere. Poſtea vero cum eam acciuifſet ad ædes ſuas, re accuratius inueſtigata, comperit eam laborare morbo comitiali. Itaque feruenter pro illa orans, ad collum eius pie admouit aliquot lapillos ſui, vt vocant, roſarii, ad quos preces dicere ſolebat. Mox illa reualuit, nec vnquam eum morbum deinceps experta eſt, licet diu ſuperuixerit.

Monachus quidam Ordin. Ciſtertiensis, Robertus nomine, præ immodica abſtinentia mente captus fuit. Oranti pro eo S. Birgittæ Chriſtus apparuit dicens: Homo conductus fuit vt vineam coleret, cumque haberet multorum dierum negotium, ille ductus cupiditate pecunię, vt rotam mercedem vno die lucraretur, vſque adeo ſe confecit labore, vt in morbum grauem incideret. Tum vero magna ex parte vinea manſit inculta, cum ille nullum laborem ferre poſſet. Sed opere ceſſante, merces ei perſoluta non eſt. Ita accidit huic Roberto, pro quo tu deprecaris: verum tamen hoc incommodo is liberabitur, quod etiam euenit poſtea.

Habuit S. Birgitta curforem quem dæmon arripuit, ſed ea illum ab homine proſtigauit.

K Item

Item in Regno Suediæ feminam dæmoniacam ipsi oblatam, pristinae sanitati, cum ei signum crucis impressisset, restituit.

Expulit etiam dæmonem è domo quadam, multa aduentantibus responsa dantem, multaque prædicere conantem, hominumque res occultas prodentem.

Quidam per incantationes capiebat multos pisces. Eum S. Birgitta hortabatur, vt à nefario opere cessaret. Sed ille spernens admonitionem eius, mortuus inuentus est.

Fratrem etiam quendam, ex dæmonis tentatione immodica fame laborantem, curauit.

Capellanus
suum capite
laborantem
sanat.

Capellanus suum, grauissime dolentem caput, tactu suo sanauit.

Multa alia & in vita & in morte, quæ prope fidem excedere videantur, operata est, quæ vitandæ prolixitatis causa omittimus.

De ea Scriptores rerum Sueticarum. Birgerus Archiepiscopus Upsalen. Surius 23. Iulij Volateranus lib. 21. Geographie, Trithemius in Chronicis, Polidorus lib. 7. c. 14. ad finem Anton. Cordub. lib. 10. Quest. 9. 44. in 4. prob. sex. com. Petrus Canisius lib. 1. de B. Virgine c. 2. Michael Medina lib. 2. de reſta in Deum fide. Nicolaus Sanderus lib. 6. Visibilis Monarchia num. 1046. Alphon. Mendosa in quodlibet 9. 5. Martinus del Rio, Tom. 2. lib. 4. c. 1. 9. 3. Sect. 4.

S. CA-